

991
est. Major verò verior est: Minor probatur, uno effectu à duabus
causis totalibus h. m. acceptis producto, tunc ille effectus totus
denderet ab hac causa & non totus denderet ab ista causa.
Et sic effectus idem posset produci sine hac causa totali, & non sine
hac causa totali, quia ab ista denderet tanquam effectus, quod it-
idem implicat. Dicis: Creatura aliqua tota dependet à Patre, tota à
Filio, tota à Spiritu Sancto. E. absurdum non videtur esse, unum
numero effectum à pluribus causis totalibus simul dependere. Re-
spondemus, est dispar ratio. Nam hoc in divinis propterea fit, quia
omnes tres personæ divinæ eandem numero Potentiam, per quam
simul agunt, habent. Nos verò locuti fuimus de talibus causis, quæ
diversas agendi potentias habent.

Th. XIV.

Haftenus de causa efficiente actum est, jam de *cau-
sa materiali* paucula etiam subnectemus. Ex antiquioribus plu-
rimi *solum causam materialem* agnoverunt, reliquis causarum
generibus rejectis. Ratio, quæ eos induxit, talis affertur. Ex quo
omnia sunt & fiunt & in quod ultimum corrumpuntur, perma-
nente substantia, mutatis tantum circa eam accidentibus, illud
solum absque causa est omnium principium. Talis verò substan-
tia est materia E. &c. Putarunt enim omninò necessarium esse,
ponere aliquod principium, quò permanente & salvò perpetim
existente cætera fierent, accidentibus scil. nunc aliis atque aliis
accedentibus & recedentibus. Ex hoc autem factum est, ut cum
illud solum principium materiale substantiam putarent, *formas*
autem haberent pro accidentibus, ut inquam nihil reverà (strictè
loquendo) generari aut corrumpi, crederent, quia stante hac sen-
tentiâ in transmutatione rerum naturalium nulla substantia ad-
mitteretur, nulla acquireretur, sed mutatio omnis saltim fieret
in accidentibus. Et quemadmodum neque Socrates generari
dicitur, quando fit bonus, aut Musicus; nec corrumpi, cum hos
habitus amittit. Ita homo non generaretur, si materia ejus sal-
tim formam tanquam accidens reciperet. Et quidem hi iterum in
diversas partes abierunt; Thales Milesius tale principium mate-
riale adserit omnium rerum esse *aquam*, ex qua modo attenuata,
modò in raritatem abeunte omnia constarent. Aliis placuit aë-
rem